

sue fuisse Scriptorem, quod & nobis multas ob rationes videtur probabilius, non deest ratio, quæ suadet, allegationem carminis in obitum Iosuæ confecti, huic libro postea ab Iaia insertam esse manu. In Disputatione supra citata! §. 19. prolixè est demonstratum, non solum Cap. XIX. versum 47. ab alio esse additum, sed ea etiam, quæ Iosuæ mortem describunt, Cap. XXIV. v. 29. & seqq. primum non agnoscere autorem. A cuius autem manu illa complementa sunt profecta, ab eadem & nostram carminis allegationem derivari posse haud absque ratione assentitur. Carminis enim partcula, quam dicimus insertam, etiamsi dematur, reliqua nihilominus optime cohærent: *Et expectavit Sol, & Luna constitit, donec gens se ulciseretur de inimicis suis.* Et non fuit dies, sicut dies ille, neque ante neque post eam, ut auscultasset Dominus, voci hominis; quia Dominus pugnavit pro Israelitis. Carmen vero ibi esse allegatum, facile cognoscimus, codicem accuratius si inspicimus. Postquam enim primus Scriptor dixerat Cap. X. v. 13. *Et expectavit Sol, & Luna constitit, donec ulciseretur se gens de inimicis suis:* statim subjicitur: *Nonne hoc scriptum est in libro Hajjaschar istius Recti?*

*Et stabat Sol in cælo,
nec festinabat occidere circiter die integro.*

§. V.

Tertium fundamentum, quo nostra tanquam firmo talo nititur sententia, est ritus Israelitis multisque aliis antiquis gentibus receptus. Pietas videlicet singularis erga demortuos non Israelitas solum, sed alias etiam gentes eo deduxit, ut Summorum Heroum, Regum & Principum obitum deflerint & carminibus celebrarint, quo de ritu plurima in profanis æque ac sacris Scriptoribus documenta deprehendimus. Jam supra vidimus, Davidem in Saulis & Jonathanis obitum poema ferale fecisse; sed hoc esse unicum, nullumque amplius in sacris literis inveniri Epicedium, minime concedimus. Abnerus quoque præmatura & violenta mor-